

שׁוֹ
DISPUTATIO
SUPER

HUMANITATIS
STUDIIS,

Veniã Amplissimi
COLLEGII PHILOSOPHICI
In Regia Aboënsi

Præsidente Viro Humanissimo

DN. M. CHRISTIERN
A L A N D R O,
Eloqv: Professore Publ.
Instituta

â
SAMUELE LAUR. KIELLINO,

In superiori opinatissimæ Univer-
sitatis ludo

horis de die consuetis

I. Junii Anni volventis & ortæ Sa-
lutis humanæ 1701.

Exc. J. WAL.

S: REGIÆ MAJESTATIS

Maximè Fido Viro

REVERENDISSIMO PATRI

DN. JOHANNI

GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI
Excellentissimo

Inclutæ Diœcesios Abœens. EPISCOPO
Vigilantissimo

ad Auram florentiss. Musarum cho

PRO - CANCELLARIO

Eminentissimo

Venerandi item Consist. Eccles

PRESIDI Gravissimo

AUSPICATUM SECVLI AUSPICIVM!

P^ræsentes

Tenuiores pagellæ

Benigna fronte excipiantur

quas

REVERENDISSIMÆ VESTRÆ

PATERNITATI

sacratas voluit

mera pietas, & simplicitas

est

quod

mente devotissima

rogatur.

Vivere Tis

ANTISTES Eminentissime

Faxit

Sospitator

In secula celebrandus

Sospitem diu

&

Incolumem

Re:

Regi Augustissimo
Gratissimum,
Patriæ dulcissimæ
Ornamentum Splendidissimum,
Publicæ rei literariæ
Commodum exoptatissimum,
demum
Familia Amplissimæ
Fulcrum jucundissimum
Quod
penitus vovet
Summo Pietatis Zelo

REVERENDISS. & VESTRÆ PATERNITATIS

humillimus colo

Samuel Kiellinus

In
Eruditam Dissertationem

De *Studiis Humanitatis, seu Artibus li-*
beralibus,

Natalium splendore & virtutum gloria,
Conspicui Juvenis,

DN. SAMUELIS KIELLINI,
Amici & Commilitis mei dilecti:

Dum pergis doctas describere
Palladis artes

KIELLINE eximio dignus honore
venis,

Quas soleat Sophiæ sociis conne-
ctere frondes

Turba Novena istas porriget eu-
ge tibi!

Subito sed gratulabundus
scripsit

JOHANNES FLACHSENIUS,
S. S. Th. D. & Prof.
Primarius.

Regi Augustissimo

Gratissimum,

Patriæ dulcissimæ

Ornamentum splendidissimum,

Publicæ rei literariæ

Commodum exoptatissimum,

demum

Familiæ Amplissimæ

Fulcrum jucundissimum

Quod

penitus vover

Summo Pietatis Zelo

REVERENDISS. & VESTRÆ PATERNITATIS

humillimus colo

Samuel Kiellinus

*Plurimum Reverende Dignationis
Viro Amplissimo,*

**DN. M. GABRIELI
THAUVONIO,**

Professori antehac Celeberrimo,
nunc de CHRISTI Ecclesia præclarè
merito, indeque Reverenda Di-
gnitate, dignaque reverentia ma-
ximè conspicuo, Nerpensium pro
tempore Præposito & Pastori di-
gnissimo, Nutritio liberalissimo,
Mæcenati indubitatissimo, omni
honore ætatè merito
suspiciendo.

NEC

Plurima Reverentia,

Conspicuis Vi

DN. JOHANNI BECHMAN,
Civitatis Christinæ & adjacentis Ecclesiæ
Lappfierds Pastori dudum optumè merito,
Promotori benignissimo, quovis officio sin-
cerè prosequendo.

DN. MARTINO RIVELIO,
Animarum in Raalax Pastori laudatissimo,
Evergetæ decoratissimo, ubique plurimum
faciendo.

DN. JOHANNI BACHSTER,
Archi-Diacono Civitatis Christinæ maximè
industrio, Fautori certissimo.

DN. JOHANNI GOTTLIEBEN,
Ecclesiæ Nerp: Concionatori pervigili, Ami-
co perpetim adamando.

*Has studiorum primitias, reverenter & per
cessarium præbendi, quia debui pro continuâ
tibi hoc Academicum depono, ipsorum ulteriori
noto sustineant sincerum mihi & favore*

DIVINAMQUE
in vicem

NON
judicio & Veneratione
ris ac Dominis,

DN. SAMUELI BACHMAN,
Pastori in Saibela longè bene merito, bene-
volentia desideratissima ergo, nullo non
tempore colendo.

DN. BARTHOLDO PHAHL,
Ecclesie quæ DEO in Jimola colligitur Pa-
stori æstumatissimo, jugi observantia ve-
nerando.

DN. GABRIELI KALM,
Sacellano in Parœcia Rerpes fidelissimo,
Benefactori multum honorando.

DN. CAROLO HOFFREN,
V. D. Committro in Rerpes tolerantissimo,
Fautori singulariter observando.

*officiose nuncupare & offerre ideo volui, & ne-
eorum erga me benignitate: ad Quos dum Exerci-
gratie & favori me commendo, petens candore
mixtum super his judicium reddere,*

BENEDICTIONEM
promittens.

Auct. & Resp.

In
Eruditam Dissertationem

De Studiis Humanitatis, seu Artibus li-
beratibus,

Natalium splendore & virtutum gloria
Conspicui Juvenis,

DN. SAMUELIS KIELLINI,
Amici & Commilitis mei dilecti:

Dum pergis doctas describere
Palladis artes

KIELLINE eximio dignus honore
venis,

Quas soleat Sophiæ focis conne-
ctere frondes

Turba Novena istas porriget eu-
ge tibi!

*Subitò sed gratulabundus
scripsit*

JOHANNES FLACHSENIUS,
S. S. Th. D. & Prof.
Primarius.

Viro Juveni

Literis Moribusque apprime Polito,
Prestantissimo

DN. SAMUELI KIELLINO,
optimorum olim. Parentum filio haud
degeneri, proprio Marte solerter dif-
ferenti, Amico Commiliti pen-
suis amando:

Quo quis tentamen fama, devitet, manis,
Discere, quam, pollet, velle docere magis;
Tutius auditur verum, latabile, apertum,
Quam manifestatur; namque silere bonum.
Doctrina imbutus clara, non fronte tumere
Elatâ, abjectâ mente sed, esse solet.
Turpis inest opibus stolido jaectantia fastus;
Artis Alumnus enim, lenis, amœnus erit.
Audio Te, Samuel, vigili multoque labore
Seclari Musas Pieriumque Chorum;
Et vulgare Typis Discursum, quem tua salers
Scripsit dexteritas, Ingeniumque sagax.
Hisce, Tibi, inceptis laudandis, grator Es opes
Tranquillo, ducas Candida Vela, salo!

Quamvis impeditior, L. tn. Mqj.
accineham

SIM. TRIPPO.

S.S. Theol: Prof. Ord. P. GV

Juvenem Spei & Eruditionis pulcherrima,

DM. SAMUELEM L. KELLINUM,

DE STUDIIS HUMANITATIS
differentem,

Amicâ gratulatione prosequens.

Si quot habent vultus hominum, tot
in orbe fuissent

Verè homines, hominum vita be-
ata foret.

Multa bipes sed enim, non hirtâ, bestia,
pelle est,

Vulpibus, ac Pardis, & mage sæva
Lupis.

Scilicet ingenuas, qui non admiserat
artes,

Vultu hominem simulat, bellua cor-
de latet.

Non hujus Te igitur studii, KELLINE,
pigebit,

Quod Te plus hominem pluribus esse
facit.

TORST: RUDEEN.

Signa hoc mentis opus qui cuncta re-
gis Pater alme
Laudibus eternis nunquam non TE ve-
nerabor :
Consiliis adfiste tuis , DEUS optime
quæso !

PROOEMIUM.



Non ingratum fore spero, si præliminaria inprimis aliquot recenseantur, supponente me auxilio Summi Nominis disputare : *Quemadmodum* quis sentiat se in studio humanitatis proficere. In quâ quæstione, cum ejus in vita humana utilitate, tum dignitate commotus, immaturas & exiles ingenii vires periclitari animus est: operæ autem pretium & haud parum ab te esse præsumo, vocum seorsum genuinam significationem intimius inspicere: semotis innumeris ferè earum acceptionibus, quas ni temporis angustia prohiberet, explanare utique mihi alias incumberet. *Studium*

A

quid

quid significet, & cui lingvæ originem merito debeat, primò venit examinandum. & constat quidem, *studium* à diversis autoribus diversè sumi, ad lingvæ autem Athenis solitam, ut suam Matrem, rectè stemma suum referre, non inveniusta literarum quædam mutatione à voce $\sigma\pi\alpha\delta\iota$ factâ, nos non immerito censemus. *Humanitas* autem, ut plures ejus ambiguo usus silentio præteream; pro Eruditione & Artibus liberalibus, apud incomparabilem Ciceronem & Agellium usurpatur. Agellius censet *humanitatis* vocabulo, qui sinceriter locuti sunt latinè, probè magis & propriè usos fuisse, quam id accipi vulgus existimaverat; nempe cui visum est à Græcis $\Phi\lambda\alpha\nu\theta\rho\omega\pi\acute{\iota}\alpha$ dici, & significare dexteritatem quædam ac benevolentiam erga omnes homines promiscuam; sed & *humanitatem* appellavisse id propemodum, quod Græci $\pi\alpha\iota\delta\acute{\epsilon}\iota\alpha$ vocant. Nos, ait prænominatus Agellius, *eruditionem institutionemq;* in bonas artes dicimus: quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, hi sunt vel maximè humanissimi. Hujus enim scientiæ cura & disciplina, ex universis animantibus uni
bor

hamini data est; idcircoque humanitas ap-
pellata. Quod igitur Veteres omnia cum
grano salis accipere assueti, eo verbo tali ra-
tione uti solebant & volebant, omnes ferme
libri declarant: quamobrem satis sit unum
interim exemplum promere, Varronis
utpote verba è libro rerum humanarum
primo, cujus principium hoc est: *Praxi-
teles, qui propter artificium egregium
nemini est paulum modo humaniori i-
gnotus.* Quorum verborum paraphrastem
hoc pacto agit nominatus Agellius; *hu-
maniori*, inquit, non ita ut vulgo dici-
tur, facili & tractabili & benevolo, tam-
etsi rudis literarum sit, hoc enim cum
sententia nequaquam convenit; sed erudi-
tiori doctiorique qui Praxitelem, qui fuerit,
& ex libris & ex historia cognoverit.
Humanitatem sic expendere ingressus,
dum pluribus eandem persequi volo, pla-
cet procedere & uti demonstrationibus
ac principiis tanquam in actu exercito;
h. e. probabilissimis pugnare argumentis,
ut tam certè ea credi quæ hic probantur,
meritò oporteat; quam creduntur alia
quæ invicti roboris rationibus nituntur.
Atque Aristotelis adèd ἀποδείξεις demon-
stra-

stratio nunc nominanda venit, ratiocina-
 tio videlicet, quæ veris & primis con-
 stat, vel his, quæ ex primis & veris quibus-
 dam cognita sunt. Etsi non me fugit,
 heudquaquam satis probari purioris lati-
 nitatis Studiosis, quod ἀπόδειξις hoc sen-
 su demonstratio appelletur; tamen hac
 dictione, aliisque vulgo receptis extra-
 periculum uti licere, cum aliæ commo-
 diores in præsentia non suppetant; &
 quin valeant, quid voret? Cumque igitur
 eadem sit vis demonstrationis, qualis
 principiorum ejus, quam scitum scilicet est,
 huc animos attendere. Unde demonstra-
 tionibus tantum veritatis inest, quantum
 universalibus illis principiis; quæ quid-
 quid veri certique habent, à sensibus &
 singularibus acceperunt. Ex universali-
 bus autem quibus plura cognoscuntur, con-
 stat certior & firmior demonstratio ad
 parandam & confirmandam fidem; sed Sci-
 entiam per eam ut præcipuam causam
 & adminiculum, quo mens nostra sensim
 flectitur, gigni in nobis, nutrirî, defendi ac
 raborari, omninò meritò certum est.
 Quapropter in istam etiam sententiam
 subtiliter & erudite egregia multa multi
 usque

usque huc differere, adeo ut fidem illis
adungere omnis, retrahere vero repertus
sit nemo. Quâ suffultus ratione, perpe-
ram non agi arbitror, si inferatur
sensus verborum ipsius Aristotelis, com-
modè dicentis *ea vera esse, quæ habent
fidem à seipsis; eaque vera esse omnes ho-
mines fateantur, vult; quorum consensus
natura vox est*, Judice Cicerone.

CANON I.

Humanitatis Studia sunt quæ
maximè naturam attingunt
humanam.

Omnia quæ à ratione suscipitur de ali-
qua re institutio, cum à definitione
proficisci debeat, ut intelligatur quid sit,
de quo disputetur; idem mihi censeo fa-
ciendum, ut ordine procedam, principium
ducens à studiis humanitatis, quibus al-
liud nihil intenditur, quam id quod in-
ter hominem & belluam maximè interest;
nempe eo pacto homo rationis particeps,
vi rationis, jure sudat actiones suas bruto-
rum longius tantò antecellere, quanto eum
melius decet ea, quæ majore mensura ac-

ceperat utenda, imitando agricolæ studium circa agrum fertilem, multo labore nitidiora & feraciora efficere. Jam quoniam ita comparatum sit, haud ulla re longius nos à natura ferarum rationis & orationis expertum abesse, quam ratione & oratione, in docendo, discendo, communicando, disceptando & iudicando, supra satis palam est; unde quin agitatio mentis, quæ nunquam acquiescit, possit nos in studiis cogitationis absque nostra opera continere, ut omnis ejusmodi cogitatio pro scientiæ studiis militet, quis assensum queat abnuere? Hæc innotescunt, dum necessariis negotiis, curisque vacui, avemus quid discere; cognitionem rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad bene, beateque vivendum necessariam ducimus; intelligitur ne exinde, omne quod verum, simplex, sincerumque sit, id esse naturæ hominis aptissimum. Hominis itaque est propria veri inquisitio, investigatio, perspicientia atque solertia: & *humanitati*, quasi materia, quam ejus Cultor tractet, & in quâ versetur, subiecta est veritas. Ab artibus autem illis ne fiat secessio, quæ primo omnium nos

7
in cognitione veri juvant, ut sunt Gram-
matica, Rhetorica & Logica, quæ ideo
jure optimo humanissima disciplina dici
merentur; sincerè tenendum, eas invicem
vires ad eò æquasse, ut indissolubili paris
utilitatis nexu conjunctæ, in omni exerci-
tatione nos rationales, scientiâ decenter
augèant; unde & ad loquendum, dicen-
dum & ad judicandum copiam effectanti-
bus maximopere profuerint. Hæ disci-
plinæ sibi ita consentaneæ, sunt cognitio-
ne, operâ & curâ dignæ, ex quarum fon-
tibus, judicio, arbitrioque nostro quan-
tum quoquo modo videtur, haurire pos-
sumus; ducibus enim illis, evadit disputa-
tor subtilis, & orator non minus vehe-
mens, quam dulcis. Hoc ulterius perse-
qui & perpendere dum in animo residet;
prænominarum trium Disciplinarum
naturam paucis penetrare fas existimo,
earum primum *Objecta* observando, quæ
consistunt notionibus quibusdam techni-
cis, tametsi hic objectum aliquod tracta-
tionis non tam compareat, & evidens sit
quam ipse finis. *Instrumenta* quædam
sunt notionis secundæ; scilicet casus,
numerus, genus, declinatio, modus,
tem-

tempus &c. Tria Caussarum genera, status, Thesis, hypothesi, partes dispositionis: genus, species, subiectum, adjunctum, prædicatum; Figuræ tres &c. Principia denique sistunt Regulæ primariæ, loca argumentorum, & Canones passim obviis: quibus omnibus elucescit, huc rem cadere ut *quid purè, aptè, distinctè, bene, ornate, splendide, & verè dicatur, & sciatur maxime humanum sit.*

CANON. II.

Qui novit cogitare, loqui & judicare ut rerum fert natura, in studiis humanitatis non parum processit.

Prælibatis adeo humanissimarum disciplinarum secundis notionibus & Entibus rationis, quorum ope ratio & intellectus in cognitione rerum dijudicatione & elocatione dirigitur: suo membra-
tim ordine, ea quæ superficialiter sic acta sunt; tum opem quam armis non firmis solum sed & fulgentibus præliando afferunt, brevibus commodè aperire, è re esse.

esse ratus sum. Mens itaque discet modum
cognoscendi & ratiocinandi de rebus om-
nis generis; anima enim ipsa non bene
habet, sine exercitiis loquelæ & compo-
sitionis; quamobrem de tribus sæpè nu-
mero nominatis disciplinis candide & se-
rio arbitrandum, siquidem ab humano
ingenio recte excoltæ, tantum præstant,
quantum quis improbo labore vix asse-
qui possit. Scilicet, non vives, si *huma-
nitatem* sis amplexus, injucundè, sed ubi-
que vivere jucunde disces, atque unde-
quaque exhilarabit te de multis bene me-
rentem, gloria, & nomen invidia inra-
ctum. Interim tamen frustra sunt fu-
turi, qui nudæ harum cognitioni in-
hærent, id operam dantes, ut præcepta
recensere valeant, quemadmodum graculi
aut picæ solent, absque intellectu, cum
magna temporis & ingeniorum jacturas
potius deceret eos, ipsam præprimis exerci-
tationem adhibere, non modo in rebus per-
fectè cognoscendis & accuratè concipien-
dis, licet hoc sit eximium; sed & multò ma-
gis in facultate communicandi conceptus
acquirendâ, quò possint rerum naturam,
ut ipsa fert, dilucidè verbis exprimere, &

de singulis maturum atque conveniens
 judicium ferre. Atque hoc in studio felici-
 ter neminem decursurum, nisi notioni-
 bus technicis probè uti assueverit, nuda
 est veritas. Signa autem omnia quibus
 conceptus communicantur, ex impositio-
 ne cum sint; quis injustè quidem inficias
 ijerit eas voces esse pluris momenti in
 quavis re, quas eruditi cum iudicio in
 hos usus formaverant, quam quas cæcâ
 consuetudine vulgus in loquendi usu com-
 muni approbaverat. Voces enim, ni si-
 gna ut sunt, essent, sed picturæ rerum;
 sequeretur omnes omnibus lingvas ob-
 vias fore, ut ex Alphabetis Chinensium
 constat, in quâ lingvâ certi literarum du-
 ctus certam rem sine articulatâ voce de-
 notant, & haud aliter ac lingvam natu-
 ralem explicant. Hoc verò cum non sit,
 & tamen bene faciam accommodans me
 ad mores cujusvis regionis, loci, sermo-
 nis, & personarum, quibus cum vitam
 vivo: juxta illud;

Si fueris Roma, Romano vivito more:

Si fueris alibi, vivito sicut ibi,

(Cujus cautionis neglectum, multas im-
 por-

portare sinistras suspiciones, usu aliquando venit) quanto rectius & consultius erit profundè doctorum verba, diligentia summa notando & imitando, in memoris mentis promptu habere. Equidem recurrit scilicet denuo cogitare quam utile ac planè necessarium sic *instrumentum humanitatis sermo*, indoles enim hujus penitus intellecta, non solum propter alios, sed & propter nos ipsos inventa, efficit ut inter eos qui eadè lingua utuntur, certæ rei certum vocabulum prout receptus cujusque linguæ usus fert, adplicetur: unde verbis animi nostri sensa exprimere, & repræsentare tenemur steri, qui eadem intelligendi jus possidet. Excluduntur autem hinc sensa animi a sermone discrepantia: id namque in vita humana quisque voluisse censetur, quod verba ejus præ se ferunt, etsi intrinseca mentis distinctio ab ipsis discedat.

CANON. III.

Progressus nullus sperandus & credendus est, si animus nihil deponit suæ dementiæ.

Ad ulteriorem propositi tractationem descensuro, occurrit commode *Socra-*

zis solita adhortatio ad discipulos suos, ut se subinde ad speculū contuerentur, quo si essent egregia corporis forma, caverent, ne quid ea indignum committerent: sin minus, quod corpori deesset, id ingeni cultura, morumq; honestate pensarent. Idem refert elegantissimus luculentarum fabularum Fabulator *Phedrus*, de Viro quodam habente filium insigni pulchra facie, itidemque filiam turpissimam; ad quos infantes præcepto monendos, ut sæpe se considerarent, Pater sic verba fecisse, fertur: *quocidie speculo vos uti volo: Tu formam ne corrumpas, neque vitia malis; Tu faciem, ut istam moribus vincas bonis.* Quam bene rebus mortalium consultum esset, si unus quisque suam indolem intentis oculis inspiceret, vitiorum maculas diligenti curâ corrigeret ac aboleret; quo animorum cultu, ingenerata virtutum semina justis crescerent auctibus, naturæ verò pravitas abolesceret. Ad istum finem feliciter obtinendum, tempestive occurrendum est, nè, quæ nos infestant, in naturam abeant; menti enim infixum sit, perpetuo in eam curâ excubandū, ut humanitatis inopiam ditando humanitate, quæ animum

moderationis præceptis componit, leges
 conscribit, quibus corpus se teneat, &
 blandiloquo monitu acerbos mores miti-
 gat, indefessam à nobis probitatem ex-
 torqueamus. Quod factu non inutile,
 cum humanitas & modestia indissolubili
 quodam nexu implicatae, nullum dissidi-
 um ferant, testatur Poëtarum ille æsti-
 matissimus Ovidius, quem sic locutum
 fuisse, accepimus

*Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes,
 Emollit mores, nec sinit esse feros:*

imò earum culturâ ut idem ait:

Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.

Cunctis itaque difficultatibus susque deque
 habitis, pulcras à supremo secretorum
 Domino concessas ingenii dotes excolere,
 ipsam virtutem avidè sectari, rectam se-
 qui rationem, & quod ab ea est alienum,
 in diversam detorquens, ceu venenum fu-
 gere, animo decenter composito curæ
 cordique erit. In hoc pedetentim sya-
 dendo multus est Plutarchus in Commem-
 tario: *Quemadmodum sentias te in vir-
 tute proficere, aded ut supervacaneum
 ducam hanc rem uberiori ampliare dispu-
 tatione, cum isto in loco plus satis sit prius*

disputata: quibusnam scilicet rationibus tueberis perceptionem tuam te ad virtutem promovere, si progressus laxamentum insipientiæ efficiunt nullum, sed pari libramento obducta permanet improbitas, soluta in omnia. Cum igitur nulla possessio honestior & firmiter sit virtute; quippe melior divitiis, & utilior nobilitate, aliis impossibilia possibilis constituens; erit unica virtus obrussa studiorum. Unde sequitur quod animo bene virtutibus imbuto, ex insomniis etiam capi possit iudicium, quantum in studiis & virtute quis profecerit; cum nimirum assiduus in studiis, exercitia animi consuetra etiam dormiens sibi sapius videtur tractare; id enim existimamus sine habitu aliquatenus firmato fieri non posse: interim tamen non refragamur quin communiter rectè dici possit: *valete falsa insomnia eratis vos nihil.* His sanæ rationis dictamen fortè applicaret à jacturâ veri neutiquam natum ænigma: *progresso non multum ab extrema insipientia distat,* hoc est, quatenus rudex nascimur. In eo autem progressus continetur, ut intelligat quis in discendo sibi detractionem

nem aliquam ignorantiam fieri, & non in eadem se hærere inscientia: quod & incrementum sensim quædam detrahat, quædam iterum adjiciat, modico addendo modicum, atque frequentius illud. Tum ad facta traducenda est censura, ac doctrina non sinenda ut abeat, sed maneat, jucundè enim vivere & hilariter non à foris est; sed rebus ipsis in quibus homo versatur, lætitiâ & oblectamentum ex moribus suis quasi fonte addet. Hujus indicium primum est laudatorum æmulationis & promptitudo ad faciendum ea, quæ suspicimus, ac quæ vitio dantur, nolle nec sustinere facere. Haud leve fuerit id progressionis insigne, eleganter faciens ad virtutis accessionem, si ii qui ad virtutem & ad honestum contendunt, tempore & rebus utuntur, adjungentes sibi assiduam & vehementem doctrinæ meditationem; quippe usque ad eam attentio atque interna meditatio sensum acuit, capacemque reddit unde quæque eorum, quæ referunt ad virtutem. Efficitur hoc magis si qui rationem sic per rerum actus habent cum virtute, eamque tractant, tacitè alto animo apud semetipsos sunt, discentes, comment-

rantes, & speculantes, ad doctrinam ne-
 gotiis miscendam, & se cum periculo ex-
 ercendum, ut quasi documentum sibi dent
 dogmatum. Debent itaque honesti cu-
 pidi sapientiæ studiosi in libris dum volu-
 tantur, circumspicere & observare se,
 ecquid dictum eleganter ad limandos mo-
 res, aut ad allevandas animi pugnas &
 perturbationes se præterierit. Dixit olim
Diogenes: qui salutem desideret, ei qua-
 rendum esse vel sedulum amicum, vel fla-
 grantem inimicum, quò increpatione vel
 curatione, animi vitia exuat; si jam inte-
 riores animi foeditates contegis, & nemi-
 nem ea attingere permittis, dum vereri-
 ne arguare; parum profectus imo nihil
 sortitus fueris. Sed qui proficere reve-
 aver, conferat potius seipsum operibus &
 factis viri præstantis, (quod modò inculca-
 bicur) simul & torqueat se claudicatio-
 nis suæ conscientia, simul spe & de-
 siderio gaudeat, plenusque sit ardori
 non feriantis; *hic is est qui valeat*
 juxta *Simonidem*. Sed juxta *Platonem*,
 non solum beatum ipsum sapientem,
 beatum eum qui audit dicta, quæ ex o-
 re manant sapientis, numeramus; ve-
 rum

rum etiam gestum, inessum, obtutum eius admiremur & amplectamur: ac etsi fortuna reflarit, accingemus tamen nos, ut viros bonos & superiores ob oculos ponamus & cogitemus quid fecisset hoc loco ille, quid dixisset iste, quem se hic monstrasset: ita velut ad specula excolentes nos, ignaviorem nostræ vitæ modum reprehendentes, conformemus nos cum illis, & conglutinando nos ipsis, promptissimi; Sapiens enim est, qui discit à quovis homine, & tunc demum admittendum & censendum verè nos promovere. Enimverò hujusmodi possessorum nota est, ut alio modo se componant, postquam iis bona infunduntur vera, & colligere occipiunt ex doctrinâ fructum; remissior fit fastus, tumorque mollior: desistunt nauci causâ inflari, supercilium deponunt, meditationem vertunt ad animum, stimuloq; & felle in semetipsos potissimum utuntur; cum aliis verò agunt mitius; tum compositos, probatos, mitesque imò suavissimos & modestissimos mores expriment, quibus præditi & instructi moratioribus omnibus, nec non erudito orbi placebunt: Hæc ea propter eveniunt omnia,

omnia, profectum quia verum gustavere. Fatendum utiq; nunquam quicquam convenientius esse huic passui, quam illud Poëtæ eminentissimi & festivissimi lingvæ atq; elegantia latinæ principis Acc: Plauti in Amphitr: *virtus omnia in se habet, & omnia bona ei adsunt, penes quem est virtus.* Econtrario autem is qui nullam adhibet diligentiam in morum correctione, incomptus habetur, deridendus præbetur, & fœdissimis convitiis mactatur; cum tamen annuente Seneca in Agamemnone, *ad bonos mores nunquam sera sit via; sed quem pœnitet peccasse, penè est innocens.* Interim ex his jam est consequens, quo nihil manifestius:

Qui proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit quam proficit.

CANON IV.

Qui cum malis ingeniis & amicitiiis per errorem compositus est, & non vincit sed cedit vel se non abstrahit, frustra

19

stra se in studiis humanita-
ris exercet.

Amicitia est, quâ pauci concorditer vi-
vunt, non tamen gregarim, more gra-
culorum; nam cum benevolentia & bene-
ficentia virtutes sint, quibus habet natura
rarius nihil, inde valdè diligere & diligi
non, cadit in multos; ratio est, quia hæud
secus ac amnes, qui in multos sunt divisi &
dissecti rivus, languidam & tenuem undam
trahunt; ita amor qui est animo innatus
vehemens, in multos dispersitus flacces-
cit. Quandoquidem autem iusta amicitia
tria potissimum requirit, virtutem ut ho-
nestum, consuetudinem ut jucundum, at-
que usum ut necessarium; admittere de-
cet cum iudicio amicos, oblectari eorum
præsentia, atq; cum necesse sit, iis uti; quæ
multitudini amicorum omnia repugnant.
Amicorum quidem omnia sunt commu-
nia, non tamen ratione *possessionis*, sed
usurpationis, & quatenus concedit hone-
statis, ac virtutis ratio; ac ea propter bo-
norum amicitia sunt omni ævo immor-
tales, malorum verò facile solvuntur.
Verum est sophistæ illud *Cbilonis* ad eum,
qui

qui nullum habere se jactavit inimicum:
 apparet te inquit, nè amicum quidem
 habere; comitantur enim illicò adhærent-
 que amicitis similitates: neque fieri pot-
 est amicis injuria, quin ejus infamia &
 invidia ad te pertineat, siquidem inimici
 extemplo suspectant & oderunt amicum.
Zeuxis inculantibus eum nonnullis, quod
 imagines lentè pingeret: fateor inquit, lon-
 go tempore pingere me; nempe ad ma-
 gnam pingo æstimationem: perinde ami-
 citam & consuetudinem debes servare ubi
 eam longo ponderatam spacio acceperis;
Theognidis enim salutare est monitum:

Πρῆξιν μηδὲ φίλοιςιν ὅλως ἀνακοίυεε
 πᾶσιν

Παῦροί τοι πολλῶν πρῶν ἔχουσι νόον.

Et iteum:

Πολλοὶ τοι πᾶσιος καὶ βρώσιος εἰσὶν ἐταῖροι.

Subjicit nobis *Pythagoras*, ne multis
 injiciamus dexteram, id est, nè multos fa-
 ciamus amicos, neque promiscuam aut
 vulgarem amplectamur amicitiam, nec
 eam, quæ in diversum multis cum ani-
 mi perturbationibus concedat. *Chremes*
 de se conjecturam faciens, cujus menti-
 onem in Act. 3. Scen: 3. *Heautontimor:*
 facit

facit Comitorum Excellentissimus Terentius, nemo, ait, meorum est hodiè, apud quem exprimere omnia mea occulta audeam: apud alium prohibet dignitas; apud alium facti pudet, ne ineptus, aut protervus videar. Ita par esse credito, ex mille unicum verum seligere amicum, qui tecum salis modium commederit, & cum quo tibi magnam usque à pueris familiaritatem semper firmam fuisse, esse & forte senseris. Quapropter si amicum quis experiri velit, cum insolens sit & difficilis inventu firmus amicus, vacet oportet ad legendum sequentem Isocratis ad Dæmonicum orationem adhortatoriam:

Μηδένα Φίλον ποιῶ, πρὶν ἂν ἐξετάσῃς, πῶς κέχρηται τοῖς προτέροις Φίλοις; ἔλπιζε γὰρ αὐτὸν καὶ πρὶν σὲ γενέσθαι παιᾶται, οἷος καὶ πρὶν ἐκείνους γέγονε. Βραδέως μὲν Φίλος γίνε, γενόμενος δὲ περὶ ἅλα ἀμύνει; ὁμοίως γὰρ αἰσχρὸν μηδένα Φίλον ἔχει, καὶ πολλὰς ἐπαίρους μεταλλάττει. Τύπο δὲ ποιήσεις: πρὶν τῶν ῥητῶν ὡς ἀρρήτων ἀνακοίνε, μὴ τυχῶν μὲν γὰρ, εἴδεν βλαβήσῃ; τυχῶν δὲ, μᾶλλον τὸν τρόπον αὐτῶι ἴσπρῃσῃ.

Ut autem multi, magis delectantur tibiis

jucundissimis, ita pariter multos magis
 appropinquare amicis delinquentibus,
 quam erigentibus, liquidò liquet: multi
 nunc amici dicti, si semel cum aliquo
 compotaverint, vel pila aleave luserint,
 vel sint uno diversorio usi, ex diversorio,
 palæstra & foro, conquiescunt amicitias;
 hinc conflatur agmen & turba frequens,
 quæ cum versari non est existimare pro-
 clive, quia diversum certè multivaga a-
 micitia facit. Quantam ad nequitiam
 mortales patefaciunt fenestram dum a-
 nimo planè omisso, omne sumunt tem-
 pus ad fallendum otium, perdentes
 bonitate mixtas irreparabiles horas,
 seu sol seu imber sit; unde fures tem-
 poris haud injuriâ dici merentur? Stu-
 diosissimè ergo caveatur & videatur,
 ne cum maleficis ullius rei usum boni
 consocient, consulendo Proverb. I. v. 10.
*Si pellicere volens te peccatores, nè ac-
 quiescat: & Ecclesiastic: qui in eodem
 hortator est, dicens cap: 13. v. 1. qui at-
 trectat picem, inquinabitur eâ.* Hominis
 insuper sapientiâ præstabilis, Lacedæmo-
 nii *Cbilonis* paulo ante nominati, unius
 ex sacro Sapientium numero, super hac

re verba, si attendere quis velit, huc ad-
scribentur: *Hæc, inquit, finis ames tan-*
quam forte fortuna osurtus: hæc itidem
tenus oderis, tanquam fortasse post ama-
turus. A quo non alienus est Sophocles
in Ajace:

..... ἔς τε τὸν Φίλον
 Τραυλῶν ὑπαργῶν ὠφελεῖν βελήσομαι,
 ὡς αἰὲν ἔμμενῆα. Τοῖς πολλοῖσι γὰρ
 βροτῶν, ἀπιστὸς ἐὼς ἰταίρας λιμήν.

Cum aliud quoddam monitum est uti-
le atque prudens, tum id maximè explo-
ratae utilitatis est. Exemplis ut superse-
deam eos commerando, qui quod hoc
præprimis observassent, commendantur,
sufficiat omnibus obvius egregius Juve-
nis ingenio Terentianus Pamphilus, vi-
tam sapienter ad eò instituens, ut liceat
tum perverfis cum ingeniis conflictari
contigit, spectatum tamen & magnum
satis continentia exemplum exinde pate-
fecit, quod non commovebatur ejus a-
nimus. Andr. Act. 1. Scen: 1. *Quemcun-*
que itaque bonis disciplinis ornatum non
fugiat, decens esse, consilia consequi con-
similia: hoc etiam scitum est, ex aliis peri-
culum facere, sibi quod ex usu sit, scilicet

*Felix quem faciunt aliena pericula casus,
& - - - felix quicumq; dolore (cum
Alterius discit, posse carere suo.*

Meminerit ergo quivis doctus, ingenuis
& humanioribus literis iniciatus Poëta
Mantuanus:

*Fortior est qui se, quam qui fortissima
vincit*

Mænia; nec virtus altius ire potest.

Cum jam vero verius sit, quod ex mul-
tis in amicitiam appetitis, artes etiam
mechanicæ brevi tempore damnium attra-
here queant; quantò magis liberales &
humanitatis studia, quæ mentis opus re-
quireunt, inde remoram sentiant. sanè:

*Perditur in puncto quod non reparatur
in anno.*

CANON. V.

*Frustra sperat se proficere, qui
credit se iam profecisse.*

Seipsum noscere, quanta sit Sapiencia,
quibus exprimam verbis omnimode
destituor; quam autem suspicione sua er-
rat, qui rapit ad se, quod erit proprium
literatorum, sibi que ipsi persuadet mirè
se

se in literis esse versatum, & in Sapien-
 tia vertice versari; cum tamen incognita
 pro cognitis habeat, & his temerè assen-
 tiatur; suum ille nescit infortunium; quo
 mileriozem neminem, nec vitium cui-
 quam majus hòc obvenire posse, certum
 est. Unde bene dixerit incertus Comicus,
 ὅς χάρειν ἐστ' ἀνδρῶνος, ἐὰν ἀνδρῶνος ᾖ.
*Quàm res venusta est homo, sed qui verè
 est homo!* Sicut contrà nihil homine læ-
 vius, ubi semel ab humanitate descivit,
 sine qua homo nè nomen quidem rectè
 tueri possit; conservanda igitur est huma-
 nitas, si homines rectè dici velimus.

Singuli qui trahimur ad cognitionis &
 scientiæ cupiditatem in qua excellere pul-
 crum putamus; labi autem, errare, nescio-
 re & decipi indecorum ducimus; in eâ
 enim colendâ, sira est honestas omnis, &
 in negligendo turpitude; adhibemus ad
 considerandas res, & perniciem effugien-
 dam cum tempus tum diligentiam. Quem-
 admodum Horatius ait;

*Nemo adeo ferus est qui non mitescere
 possit.*

Si modo cultura patientem comòdet aurem.

Quamobrem nè uno quidem excepto;

D

pro-

profitentes liberos se esse Musarum Satel-
 lites omnes attingit, illud Ciceronis, ut
 scilicet discant quamdiu volunt; tam diu
 autem velle debeant, quoad se, quantum
 proficiant, non pœnitebit: nempe quam-
 diu nos ignorare deprehendimus, id est,
 omni ætate discendum est, nisi fortasse
 turpius aliquando est discere quam nescire.
 Dixisse fertur Julianus: *cisi alterum
 pedem in sepulcro haberem, adhuc addi-
 scere quædam vellem*; eatenus, quod ellet
 pulectum homini scire. Eodem quoque
 animo præditum in ætate etiam D. Au-
 gustinum accepimus, cum ipse non uno
 loco confiteatur, se propè capularem o-
 ptasse ex adolescentibus utilia discere, *u-
 nus inquit, ille mihi finis, non ut ma-
 jor, sed ut melior fiam, & alii per me.*
 Contra nunc audiuntur à multis hæ vo-
 cēs: Jam natu grandior sum, serum est
 discere: imò dico aperte, quod serum
 non sit: hoc turpius est, nescire, quæ co-
 gnitu digna sunt, quòd adultus es,
 Verum enimverò in omni vita pretiosissi-
 mum est intelligere se nescire quod ne-
 sciat, semperque cupere, quod ignoret ad-
 discere. Omnes omnino merito huic sen-
 tentiæ credunt,

Artibus ingenuis quaesita est gloria multum
Rectè enim vicissim Ovidius :

Seç fama invigilare juvat, quis nosset Ho-
merum

Ilias æternum si latuisset opus :

Nostro autem seculo mirum videtur, pri-
oribus temporibus doctrinas & artes magis
floruisse : at quid mirum? error inventu
facilis est, languet jam optimarum artium
amor, ut ipsæ res optimæ, & quidlibet in
pretio magis est, quam quod pretio nullo
satis æstimeretur. Quod si tantâ conten-
tione animi, bonarum literarum studia
prosequeretur nunc fracta & voluptatum
deliciis emollita juvenus ; quantâ in or-
nando corpore versatur, DEUS bone !
quanta doctorum virorum copia orbem
terrarum, velut inundaret ? jam autem
multi inveniuntur quidem, qui docti, qui
eruditi videri & perhiberi velint ; sed qui
ex vero sint reperias

--- --- *vix totidem quot*

Thebarum porte, vel divitis ostia Nili.

Hinc Eruditio ipsa patheticam valdè que-
relam interponit :

*Négligor à multis, curant mes semina
pauci;*

Quæ tolle & nullum viveri in orbe decus.
 Recte judicatum, & hoc iudice vicinus,
 Accinit eidem Juvenal. Sat. 7. abivisse au-
 reum seculum; adesse verò fœream no-
 strâ ætatem, quâ non tempora tantum, sed
 etiam iudicia hominum iniqua literis esse
 cœperint, utinam fallat! sed

*Hæc malè nunc artes miseræ hæc secula
tractant!*

Spes nulla ulterior. --- ---

Prodit autem idiota affirmans, hanc æta-
 tem non unum, duos aut septem, sed in
 singulis urbibus ceu pecudum greges nu-
 merare sapientes; nec mirum sanè, multos
 esse qui tam facilè fiant. Afferitur ergò
 reciprocè; stolidis aded, inertibus, tantæq;
 nequitia & extremi iudicii hominibus, qui
 nec ipsis sibi consulere, nec alteri parere
 sciunt, animam saltem datam esse pro sale
 ut suis. Atqui proverbium fere habet,
 in non sapiendo esse vitam jucundissimam?
 Ironicum id est à turibundo Ajace profe-
 ctum & à contrario intelligitur, summam
 infelicitatem esse, desipere; quid enim a-
 liud nos discriminat à brutis animantibus
 nisi

nisi Ratio, quæ si officium non facit, & rudis est, non potest non miserima esse tota vita. Itaq; Solem è mundo tollit, qui vitam humanam sapientiæ ductû carere posse existimab; nos amplectamur veritatem, & DEO gratias agamus pro ea luce, & falsam profectus præsumtionem constanter rejiciamus. Menodemus remedium suggerens contra opinionem quam Græci dixerunt *ἰσχυρὸν νόσον*, studiosorum nempe *Φιλανθίαν* & *δοξασοφίαν* inanem, Atheniensibus studiosis dicere solebat: plerosque eorum sapientes sibi videri primum, deinde philosophos, tum oratores, tandem idiotas, & sic reprimere volebat eorû arrogantiam. Socrates existimabat, se nihil scire, præter hoc unum, quod nihil sciret; reliquos verò ne hos quidem scire. Istam Socratis modestiam vicit *Anaxarchus*, qui prædicabat, se ne id quidem scire, quod nihil sciret. Sic optimus & gravissimus quisq; confiteretur se multa ignorare & multa sibi etiã atq; etiã esse discenda. Idcirco, quotquot ad verã & solidam eruditionem aspirant, primû cum *Socrate* discant agnoscere suam *ἀνοσίαν καὶ ἀγνοίαν*; & etiamnum multi ad erudi-

eruditionem pervenirent, nisi se jam pervenisse, animum inducerent. *Aristoteles* adolescentulum magnifice de se sentientem, quasi solus esset πάντεπισήμων, conspicatus, sed nullâ tamen scientia præditum: *Adolescentule* inquit, *utinam talis essem, qualis ipse tibi videris; qualis autem vera es, tales fiunt hostes mei.* Crebrò & evenit id, quod *Philosophus* quidam duos habens discipulos, alterum quidem laboriosum, sed hebetis ingenii, alterum ingeniolum, sed ignavum: ambò dicit, præreatis, quoniam tu cum velis, non potes; tu verò cum possis non vis. Hoc pacto cum suum cuique pulcrum, & non omnis sit, qui videtur, eum oportet, præcipit *Plato* φιλομαθῆ, φιλήκουσον καὶ ζητητικὸν εἶναι, hoc est, cupidum discendi, audiendi, interrogandi & audita inquirendi & cogitandi; quippe.

*Qui rogat & retinet, repetitque docetque
sodales,*

In studiis laudem præcipit ille suis;
Namque viri docti est, scrutari occulta,
inventa communicare, nova elaborare,
elaborata denique proferre. Non hic o-

pus est ulterius hærere in bivio, ultra sen-
 tentia potior; ut discatur invitat inenarra-
 bilis veritatis suavitas, rari licet sint quã
 scire volunt, ut ædificentur, quod pru-
 dentia est non vulgaris. Unus erudito-
 rum dies plus affert momenti, quam im-
 peritorum longissima ætas; quia literarum
 studia, illorum studio deditis solatia sunt
 dulcissima: imo mundanorum qualium-
 cunque non potis est anima hominis ju-
 cundiores unquam offendere scopum,
 quam sapienti vitã radicatum; incitat
 mentem ipsa artium dulcedo, unde mi-
 tabilis & insatiabilis planè studendi cu-
 piditas, solido Sapientiæ hausta fonte &
 Apollinis lecta lauro. Sapiencia, *Prov.*
3. v. 15. preciosior est cunctis opibus, &
 omnia quæ desiderantur, non valent ei
 comparari; longitudo dierum in dextera e-
 jus, & in sinistra divitiæ & gloria; via
 illius pulcræ, & semitæ ejus pacificæ: li-
 gnum vitæ est his qui apprehenderint eam,
 & qui tenuerit eam, beatus est. Sic in
 elogio Sapientiæ dicitur *Job. 28. nescit*
homo pretium ejus, nec invenitur in terra
viventium. Hujus itaque devorandæ dul-
 cedinis amator & affectator acerrimus
 possi-

postquam reperit, & cæteras cunctas amiserit divitias, salva enunciare veritate potest; se omnia habere, neque quicquam habere: sed quicquid eveniat, sua secum omnia semper portare. *Sua nempe cuique ars pro viatico est, & divitiæ nullæ certiores, quam quæ navi fractâ simul enatare possunt, & animo possidentur, per quas nobilis thesaurus secretis penetrabilibus nascitur: unde rectissimè quisquis fuit, qui dicebat, Θέλω Φρενῶν σαλαγμὸς, ἢ τύχης πίθος: id est præ dolio fortunæ seu opum, malo doctrinæ & prudentiæ guttam,*

Res valet, ars præstat: si res perit, ars mibi restat:

Ars manet, ars durat: fortuna recedere curat.

Plus probo thesaurum docti, quàm divitis aurum.

Et quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? *Prov. 17. v. 10.* Fusius ut innotescant quæ relata sunt; sic comparata est *humanitatis dulcedo*; ut animum cupidi literarum incitando, nunquam desistat; verum indulgendo cum

lactet, ducens commodè ex una in alteram subtilitatem, quæ sensum sensim ferat. Postea, dum ad majorum suavium copiam se accommodant artes, impendit & magis animus earum Cultori gaudere incipit, donec maximas opimitates dulcedine effertissimas SUO pariant: ubi tum quasi suspenditur animus, & istis aureis involvitur ramis, ut inde abstrahi nequeat propter vehementissimum studiorum ardorem, quo occupatus est. Porro animum facilem, tractabilem, acutum, earum rerum affinem quas fert profunda doctrina, & promptum non solum ad scire inveniendum quicquid in universo deprehenditur, verum id etiam perdocte judicandum, reddit humanissima humanitas. Demum dum diligentissimus studiosus totum Musarum corpus pervaserat, artisque suæ & industriæ præclara ediderat specimina, consequitur insuper immortalitatem nominis; quam maximo opere sibi Priscos æquum duxisse, cui invigilandum esset, accipimus; quamobrem eorum etiam dictorum, factorum & scriptorum omnium, nihil obvenit mentis sine summâ admiratione. Tum & fama,

pet orbem universum, eorum diffuderat
 nominis gloriam, ut haud secus ac docu-
 mentum virtutis, imo antiquitatis & pru-
 dentiae, posteris exitare possint. Quid
 adeò *humanitatis* studiis honestius,
 aut utilius? sibi addictissimum qui do-
 ctus evadat, efficiunt: nec dictu facile,
 quanti omnes doctum & pendunt,
 & quam laudibus eumulant. Quidve ne-
 cessarium magis, quam studius semper
 vacare? aperitur indies, quâ ratione apud
 infimæ etiam fortis homines, ut reliquos
 raceam, rudis in summa est infamiâ:
 oscitantia inscitiae comes, miserè mi-
 serum tramite devio abducit & occæcat,
 ne animum ad cogitandum instituere que-
 at, unde tanto amplius rerum omnium
 ineptus & imperitus fit, quanto magis

*Quem non usus habet rubigine læditur
 ensis,*

Mens exercitii cassa labore perit.

At quo propius ad flammam accedis, eo
 plus calefcis; vigorem enim animi & cor-
 poris simul accendit, faciendo eum ala-
 criorem & aptiorem ad quascunque lu-

eubrationes; sic & eruditionis elegantia,
 menti aperit occulta, quæ multorum capi-
 ta torserant adeò, ut nè quidquam de il-
 lis fieri aut statuere potuerint. Utiq̃ue
 jucundius denique nihil: juvenilem labor-
 rem magnum scœnus excipit, cum jucun-
 do crescentium annorum otio. Ingenii
 & doctrinæ Princeps *Plato* affirmans te-
 statur tantam esse *Sapientia pulcritudi-
 nem, ut si corporis oculis cerneretur,*
admirabiles sui amores concitaret.

O jubar aureum, & longe splendidius
 vesperugine! quis decus tuum effari pos-
 terit pro dignitate? O artium liberalium
 dulcedo pretiosissima, & efficacissima! quâ
 ad excitandâ vitam suavem, bene moratam
 & doctrinâ mixtam nihil instructius! ni-
 hil enim adeò est durum, quod non ali-
 quo modo doctrinâ molliri & corrigi quis.

*Quicquid sit pulcrum, quid turpe, quid
 utile, quid non,*

Plenius & melius doctrinâ nil reperitur.

Insignis admodum rei, insigne quidem
 hoc testimonium; sed propter majores
 etiam causas *humanitatem* colimus; sci-
 licet propter gloriam *DEI*, & salutarem
 ali-

aliorum gubernationem. Ad hoc con-
ditos nos esse constat, editosque à DEO
in hanc lucem, ut nostris studiis DEO
& Proximo inserviamus donec post hanc
vitam in DEI societatem recipiamur, in
quâ ab omnibus æternus Pater Do-
mini nostri JESU CHRISTI
verè agnoscat, in-
vocetur.

**SIT LAUS CONTINUE TIBI MI DUL-
CISSIME JESU!**



Viro Juveni

*In Humanissimis Disciplinis versatissimo
fraterno amore dilecto*

DN. SAMUELI KIELLINO,
Dum Meletemata sua concinna de itudis humanitatis, publica dissertatione masculè defenderet.

Σύγχαρμα.

Humanis operam studiis quàm Tu studiose

Navaſti, probat hæc publica opella tua:

*Quâ Cathedram Frater, quò mi non charior
alter,*

Differtator adis ausibus ingenuis.

Omnibus humanis eris hinc, humanior Ipse,

Dilectus, Tibi erunt omnia vota rata.

Teque Tuosque DEUS conatus opto secundet,

Continuetque precor commoda cuncta Tibi!

Festina manu occupatissimus
L. Mg, vovit

CONRAD QUENSEL:

Ad Pereximium DN. RESPONDENTEM
Amicum honorandum.

Urphaletis donatur Equus, frenoq; tricanus
Cui gravis in stadio deproperandus agonus
Sic labor assiduus magno exsplendescet honore
Splendor & Aoniis artibus est nitidus,
Has KIELLINE colis perdoctè industria & arte
In quibus est alti gloria sparsa DEL.
Quo Tibidum grator, video firmus esse precandū
Longus ut in vitā sis & honore gravis
*Sic amicitiam, quæ inter B. nostros
Parentes edicumata fuit,
renovare voluit*
LAURENT. SACKLINIUS.
V. D. M.

Morum Elegantiā & literarum decore
Politissime DN. KIELLINE
Popularis & familiaris à puero integerrime,
Qui teneris annis illustria signa dedisti,
Adis quod fieret mens tua culta capax.
Indicio clares docto monstrante futuros
Quos studii fructus carpis, honoris opes.
Dei DEUS, ex voto cedant Tibi cuncta secunda,
Ne Te sudoris pœnituisse queat.

ex officio amicitiae
JACOB. J. RUSCH.

